

tem? Et cum Apostolus asserat fundamentum ecclesiae esse catholicam, & apostolicam doctrinam, suam huic certitudinem ante constare oportet, quam illa extare incipiat. Nam si Christiana ecclesia prophetarum scriptis, & Apostolorum praedicatione fundata fuit, ubicumque reperiat ea doctrina, ecclesiam certe praecessit eius approbatio, sine qua nunquam ecclesia ipsa extitisset. *Vanissimum ergo commentum est* (1. cap. institut. Calvinus ait) *scriptura iudicanda potestatem esse penes ecclesiam, quasi ab huius nutu illius certitudo pendeat.*

Præterea si scripturae sacrae veritas ab hominum testimonio penderet, ex eoque comprobaretur, tunc ultima fidei resolutio in ecclesiae auctoritatem fieret. Credimus enim Christum fuisse filium David: quoniam Deus Prophetis, & Apostolis revelavit. Quod si Deum revelasse ex ecclesiae auctoritate teneremus, iam fides nostra non in Deum tandem, sed in homines revocaretur. Quocirca ratio fidei formalis non divina, sed humana veritas esset.

Postremo, ut Aristoteles docuit 1. lib. post cap. 2. *Propter quod unumquodque tale, & illud magis.* Si igitur scriptura canonica ecclesiae auctoritate comprobaretur, plus hominibus, quam Deo crederemus. Constat vero nullam auctoritatem maiorem esse divina: qua videlicet sacrae literae polleat. Non ergo scriptura sacra per ecclesiam confirmabitur, & ab illius approbatione pendeat. His atque aliis argumentis errorem suum hæretici suadere possunt, persuadere non possunt. Errant enim vehementer, cum in asserendis scripturis ecclesiae auctoritatem labefactare conantur. Qua de re nunc breviter, & ad hanc solum de libris canonicis causam disputabimus. Propterea quod & a plerisque viris catholicis contra hæreticos de ecclesiae auctoritate accuratissime disputatum est. Et hanc nos quoque in universoni postea asserere, & confirmare debemus.

CAPVT VII.

*Docet ad cuius auctoritatem spectat de Libris
Canonicis iudicare.*

SIT igitur, quod ad praesentem locum attinet, prima propositio. *Iudicium de scripturis per scripturas ipsas, nullo pacto idoneum esse potest.* Nam, ut de pluribus aliis taceamus, quorum similis omnino causa est, certe libros Ruth, Ester, Iob, esse canonicos: nullo modo ex ipsis scripturis comprobabitur. Ergo si res hæc in controversiam veniat, aliunde, quam ex sacris literis petenda probatio est. Deinde, quoniam hoc idem amplius urgere volumus, si in controversia sit, an ambo Testamenta, novum, & vetus Deo auctore sint edita, per nullam alterutrius Testamenti auctoritatem hæc disceptatio componi potest. Qua enim ratione de toto volumine dubitabitur, eadem quoque de qualibet particula voluminis ambigetur. Neesse igitur est, huius quaestionis aliquem præter sacras literas iudicem constituere. Præterea Basilides Prophetas nescio quos produxit Barchabam, & Barchob, aliosque id genus, qui re vera prioribus sæculis nunquam extiterint. Ut auctor est Eusebius lib. 4. Eccl. histor. cap. 8. At huiusmodi prophetarum libri per scripturas ipsas refelli non possunt. Diceret namque Basilides præter quatuor maiores, & quatuordecim minores, alios item prophetas in veteri Testamento fuisse, idque eiusdem testamenti testimoniis confirmaret. Nec his rationibus alia exempla defunt. Nam quidam Hæretici reiecerunt Evangelia, quod Christus Dominus, nec scripserit aliquid, nec scribendum præceperit: ut Augustinus 2. retract. cap. 16. refert. Alii omnes Epistolas Pauli respuerunt apud Eusebium, lib. 3. hist. Eccles. cap. 27. Iren. lib. 1. c. 26. & Origen. in 82. Psalm. referente eodem Euseb. lib. 6. cap. 28. Vide Irenæum, cap. illo 26. & 29. Alii universoni Moyfi legem, atque adeo omnes instrumenti veteris scripturas abnegarunt, ut Augustinus cum alias sæpe, tum in libris contra Faustum, & Euseb. 5. lib. cap. ultimo auctores sunt. Nos vero hos li-
ros

1. Concl.

bros in universum recipimus. Item, quæ Nichodemi, & Bartholomæi nomine ab hæreticis proferuntur, evangelia contemnimus: Marci evangelium veneramus. Ac nos quidem harum rerum causam reddimus: Illi vero eius, quod universa tenet, tenuitque semper ecclesia, rationem reddere nullo pacto queunt. Imo vivorum iudicium auctoritate sublata, nihil illis superest, nisi ut totum sacrorum Bibliorum codicem de medio tollant. Adde quod scriptura iudex est mortuus, qui nec litigantium utrinque rationes audire, nec sententiam ipse eloqui valet. Accedit quod si in humana aliqua republica talis iudiciorum esset forma præscripta, ut nulli essent iudices vivi, sed solis exaratis literis controversia quæcumque de illius reipublicæ scripturis exorta finiretur: præterquamquod forma iudicandi stultissima esset, nullus etiam esset litigandi finis. Ei enim, qui neget instrumentum, nulla vis inferri queat, si vivi iudices nulli habeantur. Ita Deuter. 17. non ad scripturam dissidentes homines referuntur, sed ad vivorum examen, iudiciumque. Et Malach. 2. cap. *Labia, inquit, sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent de ore eius. De ore eius aut, non de lege ipsa.* Et Actor. 15. non ad scripturam appellaverunt Antiocheni, ut intelligerent an verba Pauli divina essent: sed ad Apostolos, & seniores, qui erant Hierosolymis. Nec Apostoli, & seniores scripturam iudicem, sed semetipsos, & Spiritum Sanctum posuerunt, *Visum est, inquit, non scripturæ, sed Spiritui sancto, & nobis.* Sanctus quippe Spiritus non habitat in litera, sed in spiritu: non in syllabis, sed in cordibus. Quod si ii, qui Paulo adversabantur, scripturæ in causa illa iudicium peterent, quæstio hodie maneret ambigua.

Secunda propositio. *Iudicium de scripturis canonicis ad privatos reipublica christiana cives non pertinet.* Primo, quia in humana republica eiusmodi iudicia non permitterentur privatis hominibus, nisi legislatores desipuissent. Uterque enim eorum qui dissidium habent, hanc sibi iudicandi pari ratione vendicaret auctoritatem: sicque nullus esset dissidiorum finis. Privatas ergo cuiusque vel opinionones velle sequi, idque in quæstione fidei necessaria, stultum erit. Pro sua etenim factione quisque definiet, & quæ ipse existimaverit, ea sibi asseret &

Deo

Deo revelata. Quid? quod nullus homo privatus certam habet in ecclesia auctoritatem, nullus apud reliquos fideles exploratam, & solidam veritatem? ita iudicium quodcumque ab eiusmodi privato cive profectum infirmum erit: & scripturarum proinde fides incerto, & imbecillo fundamento nitetur. Quid? quod Deuter. 17. quæstiones graves, non ad privatos iubentur deferri, sed ad eos qui habent publicam in ecclesia potestatem? Quid? Num Antiocheni privati homines iudicium sibi assumsere in illa controversia, qua dubium erat, Pauli ne verba Dei essent, an non? Minime vero. Sed miserunt ad Apostolos, & seniores, qui erant in Hierusalem. Act. 15. Adde huc, quod cum quidam viri doctissimi negarint epistolam ad Hebræos esse canonicam, alii auctores quoque ipsi non ignobiles Apocalypsim Ioannis excluderint: non posset ex cuiusque privati hominis sensu ea doctissimorum virorum controversia componi. Vide Originem, hom. 7. in Ezech. Gregor. Nazianzenum in Apolog. Hieron. in Ezech. cap. 13. & in Hier. cap. 23. ut intelligas quam parum sit deferendum in huiusmodi rebus privatorum hominum præiudiciis. Sed de his multa posterius. Nunc reliqua persequamur.

Tertia propositio. *Ab ecclesia est determinandum, quisnam liber sit canonicus, & illius auctoritas certa regula est, ad libros, vel in sacrorum numerum recipiendos, vel etiam ex eo numero reiciendos.* Hanc tenuit Irenæus lib. 3. adversus Hæreses, cap. 2. 3. & 4. & August. lib. contra Faustum. 13. cap. 4. & lib. 28. cap. 2. & 4. & secundo libro de Doctrina Christiana, c. 8. Denique in libro contra epistolam Manichæi, cap. 5. ubi illa est omnium sermone trita sententia. *Evangelio non crederem, nisi me ecclesia moveret auctoritas.*

Hæc eadem definitur a Concilio Toletano primo, in hæc verba. *Si quis dixerit, vel crediderit alias scripturas esse canonicas, præter eas quas ecclesia Catholica recipit, Anathema sit.* Ecclesiæ igitur Catholicæ auctoritas certum argumentum exhibet ad libros sacros, vel recipiendos, vel reiciendos. Id quod multis, magnisque rationibus comprobatur.

Primum enim si huiusmodi res in contentionem veniat, cum nec ex scripturis ipsis, nec ex privata cuiusvis opinione sit censura ferenda, ex aliquo hanc loco petere necesse est.

Tom. I.

F

Non

3. Concl.

Non est autem unde commodius, atque constantius huiusmodi iudicium, censuramque petere debeamus, quam ab ecclesia, quæ est *columna, & firmamentum veritatis*. (1) Ad ecclesiæ igitur tribunal est hæc quæstio referenda: & eius decretum Lydius lapis erit ad explorandum qui liber canonicus sit.

Item, ut D. Augustinus contra Faustum Manichæum argumentatur, (2) in libris Æthnicorum non alia ratione magis veros auctores exploramus, quam ex communi consensu, & testimonio eorum, qui fuerunt ante nos. Vnde enim Platonis, Aristotelis, Ciceronis libros novimus, nisi ex eorum qui nos ætate antecesserunt continuis testimoniis? Si ergo in cæteris omnibus hæc via tutissima, & certissima est ad cognoscendum cuiusque libri auctorem, cur hæc eadem non erit certa, & explorata viro catholico ad intelligendum hunc librum esse Matthæi, illum non esse Thomæ, hanc epistolam esse scriptam a Paulo, illam a Paulo scriptam non fuisse? Ecclesiæ itaque testificatione libri sacri sunt admittendi. Quod videtur Ioannes Evangelista significasse, cum ait, (3) *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his: & scimus, quia verum est testimonium eius*. Ioannes ergo testimonium perhibet evangelii, & ecclesia probat inquit: *Et scimus*, &c. Alioqui, quorsum illa numeri tam subita, & improvisa mutatio? Apostolus quoque Paulus id manifeste docet in epistola ad Galat. cap. 2. Nam cum accepisset evangelium per revelationem Iesu Christi, & mansisset cum Petro, & Iacobo diebus quindecim, ascendit rursus Hierosolymam secundum revelationem: & contulit cum Apostolis, & fidelibus evangelium, quod prædicabat in gentibus: seorsum autem, iis qui videbantur aliquid esse: ne forte in vanum curreret, aut currisset. Quod si ecclesiæ probatio non esset necessaria, certe non fuisset sollicitus Paulus, ut ascenderet ad conferendum evangelium, *ne forte*, &c. Atque (ut Augustinus (4) contra Faustum ait) *si Apostolus Paulus non inveniret in carne Apostolos,*

(1) 1. ad Timot. 3 (2) Lib. 33. cap. 6. (3) Ioann. ultim.
(4) Lib. 28. cap. 4.

eum quibus conferret evangelium, ecclesia illi omnino non crederet. Et Hieronymus in epistola ad Augustinum, hæc Apostoli verba pertractans, *Ex his (inquit) ostendit se non habuisse securitatem evangelii prædicandi, nisi Petri, & qui cum eo erant fuisset sententia roboratum.* Est autem hæc epistola etiam in tomo operum Augustini secundo, numero 11. Et Tertulianus, lib. 4. adversus Marcionem, *Propterea, inquit, Paulus Hierosolymam ascendit ad Apostolos consultandos, ne forte in vacuum cucurrisset. Non enim sufficeret ad fidem singularitas instrumenti destituta patrocinio antecessorum. Denique, ut cum auctoribus contulit, & convenit de regula fidei, dexteris miscuere. Igitur si ipse illuminator Luca auctoritatem antecessorum, & fidei, & prædicationis sue optavit, quanto magis eam evangelio Luca expostulem, qua evangelio magistri eius fuit necessaria? Hactenus ille.*

Idem quoque habetur Actorum 15. Cum enim apud Antiochiam dubitaretur, an Paulus, & Barnabas, vere & sentirent, & docerent de cessatione legalium, statuerunt fideles ut ascenderent Paulus, & Barnabas, & quidam alii, ad Apostolos, & Presbyteros in Hierusalem. Non ergo unusquisque per se cognoscit an doctrina ex Deo sit, necne, aut ipsa statim doctrina cuius sese esse divinam manifestat: sed ecclesiæ opus est approbatione. Quod Lutherani tandem in comitiis Augustanis confessi sunt, habere scilicet ecclesiam auctoritatem ad discernendum verba Dei a verbis hominum. Atque Lutherus in libr. de captivit. Babyl. ubi de Ordinis Sacramento agit, confitetur quidem ecclesiam habere potestatem discernendi verbum Dei a verbis hominum, sed non proinde tamen iudicem esse verbi Dei. Quemadmodum Augustinus ait, quod veritate ipsa sic capitur anima, ut per eam de omnibus certissime iudicare possit, sed veritatem iudicare non possit, dicere autem cogatur infalibili certitudine hanc esse veritatem iudicata magis quam iudicans: ita & in ecclesia talis, inquit, est sensus, illustrante spiritu, in iudicandis, & approbandis doctrinis, quem demonstrare non potest, & tamen certissimum habet. Sicut enim apud Philosophos de communibus conceptionibus nemo iudicat, sed omnes per eas iudicantur: ita apud nos de sensu spiritus qui iu-

dicat omnes, & a nemine iudicatur. Sed nos hoc sane loco de verbis certare nolumus.

Tantum definimus, id quod iam Lutherani, vel inviti concedunt, ex ecclesiae auctoritate certum argumentum sumi, vel ad libros sacros admittendos, vel ad eos repellendos qui sacri non sunt.

At vero non parva quaestio se offert, an nomine ecclesiae significemus hoc loco ecclesiam, quae fuit tempore Apostolorum: an fidelium congregationem, qui modo sunt: an potius universam collectionem Christianorum a baptismo Christi per Apostolos, & ceteros successores eorum usque ad tempora propagatam. Durandus enim in 3. Sententiarum distinctione 24. quaest. 1. & Gerson de Vita spirituali animae, lect. 3. coroll. 7. huiusmodi auctoritatem sacros libros approbandi, vel etiam non sacros reprobandi ad ecclesiam referunt fidelium, qui cum Apostolis extiterunt. At Ioannes Driedonis libr. 1. de Ecclesiasticis Scripturis, & dogmat. cap. 1. Thomas Waldensis lib. 2. doctrinal. fid. antiquae, cap. 19. & 20. hanc auctoritatem existimant referendam ad seriem patrum omnium, & fidelium ab Apostolis succedentium. Quae eadem profecto videtur fuisse sententia Irenaei lib. 3. cap. 3. & lib. 4. cap. 63. adversus haereses, & Tertuliani libr. 4. adversus Marcionem, & Augustini libr. 33. contra Faustum Manichaeum, & in libr. 2. cap. 6. contra Iulianum Pelagianum, & libr. 2. de Doctrina Christi, cap. 8. & epistol. 63. Sed & alii tamen hanc auctoritatem huius etiam temporis ecclesiae tribuunt: quae videlicet eadem est cum antiqua, habetque eundem veritatis spiritum assistentem.

Ego vero primum sentio ad Apostolos pertinuisse libros sacros probare, non sacros reiicere. Nec enim alios libros canonicos habemus, sive veteris, seu novi Testamenti, quam quos Apostoli probaverunt, atque ecclesiae tradiderunt.

Existimo deinde, huiusmodi traditionem apostolicam non alia ratione melius innotescere, quam per patres, & doctores ecclesiae post Apostolos succedentes. Quemadmodum non alia via certior, atque expeditior est, ad Christi, & Apostolorum reliquas traditiones cognoscendas, quod suo postea loco

loco demonstrabimus. Atque horum quidem neutrum opus est, exquisitis rationibus confirmare, tantum satis est admonere.

Illud vero demonstrandum est, ecclesiam fidelium nunc viventium non quidem scribere canonicum librum posse, sed definire, an liber de quo disputatio est, canonicus sit, an non. Quia definitio dubiorum, quae circa fidem modo exoriuntur, ad praesentem Ecclesiam pertinet. Oportet enim iudicem vivum in ecclesia esse, qui fidei controversias decidere possit (Siquidem Deus in necessariis ecclesiae suae non deficit.). At librum esse canonicum, necne, fidem maxime tangit. Ad ecclesiam igitur huius temporis, huius rei iudicium pertinebit. Nam si errores qui sanae doctrinae adversantur, ecclesia, quae nunc est, condemnare nequit, profecto iudicibus de medio sublatis, huius saeculi haeretici impune vivere, atque adeo regnare possunt.

Rursum tempore Hieronymi dubitare catholico licuit, an Apocalypsis Ioannis sacra, & canonica esset. Nunc autem, ut suo loco ostendemus, id non licet in dubium vertere. Ergo post tempora Hieronymi ecclesia auctoritatem habuit illam quaestionem profligandi.

Quamobrem cum nostro tempore quidam in dubium voeent, an Baruch, & Machabaeorum libri, ac ceteri, de quibus quaestio in manibus est, canonici sint, nec ne, hanc certe ambiguitatem praesentis ecclesiae iudicium explanare poterit.

Præterea, ecclesia quae nunc est, in fide errare non potest. Ergo si crediderit aliquem librum esse canonicum, ex eius testimonio idoneum, firmumque sumetur a Theologis argumentum. Nam & ecclesia praesens docere eos, qui fidem susceperint, suo iure potest quaecumque fidei sunt, & sacros libros, quos per traditionem veterum accepit, posteris suis ipsa tradere. Qui quidem posterius fidem proxime habeant ecclesiae praesenti necesse est: ut praesentes credidimus proxime antecedentibus, & illi superioribus serie quadam & ordine usque ad Apostolos. Quibus fideles tunc vivi proximius crediderunt.

Sicut enim in disciplinis duo principiorum genera cernimus,

mus, unum remotum, alterum proximum, hoc postremum, illud primum: ne conclusiones ad prima initia nisi per postrema referuntur: sic nec fides succedentium ad eos, qui nos ætate antecesserunt, nisi per nos referri potest, donec ad Apostolos, & inde ad Christum pervenitur, ubi tanquam in primo fundamento catholica fides consistit. Quemadmodum etiam utraque disciplinarum principia firma sunt, utraque item conclusiones certo probant, licet altera mediata, altera immediata sint; ita & ecclesia quæ nunc est, certum argumentum dogmatis christiani exhibet, quamvis ipsius demum fides ad Christi, & Apostolorum sit doctrinam referenda.

Qua in re videtur mihi falsus Thomas Waldensis. Etenim, ut paulo ante indicavimus, aliud est quærere, quid ecclesia præsens definire possit, & quousque habeat controversias decernendi auctoritatem, aliud vero investigare, quam via, & ratione ad rectam, & firmam harum rerum definitionem valeat perveniri. Ac nos quidem ingenue fatemur, non esse nunc novas revelationes expectandas, sive a summo Pontifice, sive a concilio, sive etiam ab ecclesia tota, sed inquirenda potius maiorum documenta, ac Sanctorum scripta, Apostolicas rursus traditiones, sacras etiam literas consulendas, atque per huiusmodi conquistata media quæstionem de fide propositam decernendam. Nam & Apostoli, & seniores congregati in concilium Hierosolymitanum magna facta conquestione, tum ex rebus antea actis, tum ex scriptis prophetarum, sententiam de re proposita, atque in quæstionem vocata, tulerunt.

Fallitur, & in alia re, nisi fallor ego, Thomas Waldensis, cum asserit testimonium laicorum fidelium etiam huc pertinere. Sed ideo ad eos non esse opus recurrere, *Quia nescierunt*, inquit, *fidem suam congruis vocabulis, atque ab omni intricacione liberis successorum propinare memoriis.* Nam quæ ad fidem spectant, sunt in duplici differentia. Altera, quæ omnes fideles explicite credunt: ut filium Dei humanam naturam suscepisse. Altera vero sunt, quæ videlicet soli maiores credere tenentur explicite, populus autem implicite in maiorum fide. Ut patrem, & filium esse unam principium Spi-

Spiritus Sancti. A populo igitur rudi in rebus fidei, quæ sub priori genere continentur, iure forsitan testimonium postulaveris: quod earum rerum fides æque ad maiores, ac minores pertinet. At in his, quæ ad alterum genus spectant, si qua quæstio exoritur, ineptissimum erit, ut imperitum vulgus, delirus senex, garrula anus, sutor indoctus, consulatur: idque maxime si non ad ecclesiam præsentem, sed ad eam, quæ superiorum fuit temporum, huiusmodi quæstiones sint referendæ. Quod fieri oportere Thomas ipse Waldensis asseruit. Cum igitur fides de numero canonicorum librorum explicata, non popularium sit, sed maiorum ad quos utique spectat, quinam sint sacri libri cognoscere, fateamur necesse est, in huiusmodi quæstione, quam modo versamus, testimonium a plebe non esse requirendum, sed a doctoribus ecclesiæ, quibus, & plebs rudis debet credere, ad quosque similibus rerum iudicium pertinere, ut iustum, ita quoque certum est. Quo fit, ut si omnes Sancti, & doctores ecclesiæ asseruerint aliquem librum esse canonicum, id pro certo habendum sit, perinde ac si tota ecclesia asseruisset. Quod uberius alio loco explicandum est. De tertia igitur propositione satis est dictum.

Quarta propositio. *Ad Concilium universale præcipue pertinet definire qui liber sit canonicus.* Quam quidem propositionem æquo animo paterer ab hæreticis non admitti. Sed illud tamen doleo vehementer, quod eam nonnulli fideles inficiantur, in quibus Thomas Waldensis esse videtur, lib. 2. doctrinalis fidei antiq. cap. 19. 4. Concl:

Probatur tamen illa manifeste, quia proponere fidelibus ea, quæ sunt divinitus revelata, ad ecclesiæ pastores maxime spectat, tum quia tota ecclesia huiusmodi revelata proponere, & docere non valet: tum quoniam ut posset, non deceret tamen, ut tota ecclesia docendi officium assumeret. Tum quia pascere oves in scientia, & doctrina proprium munus pastorum est, ut Hieremiæ 3. dicitur. Tum quoniam aliquando inter ipsos catholicos concertatio est, an hic, aut ille liber canonicus sit. Ad dirimendum igitur huiusmodi disceptationem oportet in ecclesia iudices esse, quorum sententiam fideles debeant sequi. Iudices autem in doctrina fidei non

non alios convenientius accipimus, atque episcopos, & doctores, quibus fidelium instructio demandata est: quosque si de medio tollas, ecclesie universalis iudicia protinus auferes. Cum tota ipsa ecclesia, hoc est, fideles omnes, convenire ad iudicandum de proposita quaestione, nec debeant, nec vero possint.

Præterea Concilium est certa regula in his quæ fidei sunt, ut posterius ostendemus. Cum igitur hæc quaestio de libris sacris, atque canonicis ad fidem attineat, concilii testimonio abunde poterit definiri. Id quod Antiochenos intellexisse constat. Non enim quaestionem de legalibus ad fidelium plebem, sed ad Apostolorum, & seniorum synodum retulere. Nec post concilii sententiam ullus relictus est dubitandi locus. Actor. 15.

5. Concl. Quinta propositio. *Ad summum Pontificem pertinet definire, quinam liber sit canonicus.* Primo, quia maiores ecclesie causæ ad summum Pontificem referendæ sunt, ut Innocentius probat, de baptismo, cap. maiores, nosque idem etiam sumus demonstraturi. At hæc de libris canonicis causa maxima est: ad summum itaque Pontificem est referenda. Deinde quia contingit esse dissidium inter patres in concilio congregatos. Quod si non esset iudex in ecclesia, qui hanc contentionem, litemque dirimeret, certe non esset ecclesie a Deo provisum in rebus necessariis.

Præterea, quia summus Pontifex quoties de fide pronuntiat, errare nequit; quod suo postea loco etiam commostrandum est. Ipsius ergo Pontificis testimonio tanquam certo iudice probare poterimus, quis liber sit canonicus, quis contra non sit.

Postremo id ostenditur argumento Nicolai Papæ. (5) Nam quod vere sedes Apostolica probavit, hodie tenetur acceptum; & quod illa repulit, hæc tenetur inefficax prorsus habetur. Ita opuscula doctorum quæ approbavit, ecclesia probat: quæ contra reprobat, ecclesia reprobat. Summorum ergo Pontificum de hisce rebus testimonium, ipso etiam perpetuo re-

(5) Cap. Si Romanorum. 19. dist.

rerum experimento firmum, ac certum habere compellimur. Nam & evangelium, quod Paulus prædicabat in gentibus, ut ante ex Tertuliano, Hieronymo, & Augustino monstravimus, non fuisset ab ecclesia receptum, nisi Petri auctoritate fuisset roboratum. Et ut idem Hieronymus in libr. de viris illustribus (6) ex Clemente in 6. ὑποτυπώσεων scribit, *Marcæ evangelium, cum Petrus audisset, probavit, & ecclesia legendum sua auctoritate edidit.* Idem vero Eusebius, lib. 2. ecclesiasticæ historiae, cap. 15. non solum Clementis, sed ex Papiæ testimonio confirmat. Constat autem qui Petro succedit, hanc eandem potestatem habere in illis sane quæ sunt ecclesie necessaria. Ad summum ergo Pontificem huiusmodi de libris canonicis iudicium pertinet. Nam & si qua similis quaestio in veteri lege exoriretur, ad Pontificem eius definitio pertineret, ut Deut. 17. legimus. Hactenus, quanta fieri potuit brevitate a nobis ea dicta sunt, quæ præsentis loco satis erant, ut pius lector intelligeret, quibus auctoribus in libris canonicis constituendis fidem habere oporteret. Nam si qua horum maiori vi, & argumentis indigent, ut in universum probentur omnibus, ea suis postea locis confirmabuntur. Nunc vero illud agendum esse puto, ut argumentationes hostium veræ religionis, quam brevissime etiam possumus, refellamus.

CAPVT VIII.

Vbi confutantur argumenta capituli sexti.

AD primum igitur argumentum sic respondeo. Si Christus ab homine testimonium non accipit, ubinam illud ad 1. est, *Fuit homo missus a Deo, ut testimonium perhiberet de lumine?* (1) Vbi rursus illud, *Vos testimonium perhibebitis de me, quia ab initio mecum estis?* (2) Vbi denique illud, (ne omnia repetamus) *Eritis mihi testes in Hierusalem, &c.* (3) Sensus igitur

Tom. I.

G

tur

(6) In Marca. (1) Ioann. 1. (2) Ioann. 15. (3) Actor. 15.